Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26089
Copyright: Admont, Benediktinerstift

ad eruditionem nostram et novis testimoniis et antiquis dum
quod prophetica cecinit tuba evangelica pandit hystoria et
sicut scriptum est abyssus abyssum invocat in voce catarac
tarum tuarum; quoniam ad enarrandam gloriam gratiae dei paribus
sibi vocibus utriusque testamenti altitudo respondit; et quod erat
sub velamine figuratum et profundum fit revelata voce perspi
cuum. Si autem inter illa miracula salvatoris que sub populorum
gerebantur aspectu pauci veritatis presentiam sentiebant; ipsique
discipuli voluntaria domini passione turbati non evaserunt scandalum
cru cis sine temptatione formidinis; unde fides nostra intelle
gentiam sumeret, unde constantia ... robur acciperet,
nisi que facta cognoscimus predicta legeremus? Facto igitur di
lectissimi salvatoris triumpho et consummatis dispensatio
nibus quas omnia veteris testamenti eloquia nuntiaverunt;
L ugeat carnalis iudeus sed spiritalis gaudeat christianus et fes
tivitas que illis eversa est in noctem nobis coruscet in lucem;
quoniam crux christi eadem est et credentium gloria et non credentium
pena. Quamvis enim persequentium furor nichil aliud in
dominum maiestatis operatus sit quam atrocem crudelitatem et
inmitte supplicium; redemptis tamen hac domini passione ve
rior iustiorque est letandi ratio quam dolendi. Fuerat tunc
discipulorum excusabilis pavor ne diffidentie culpam
apostolicus meror incideret; quando concurrentibus ad
unum scelus iudeis iudeorumque principibus superborum taurorum pin
guium tumor et proterva vitulorum petulantia deseve